

tionibus aestuabat. Ad quod edomandum cuidam fratri, qui ex Hebraeis crederat, me in disciplinam dedi: ut post Quintiliani acumina, & Ciceronis fluvium, gravitatemque Frontonis, & lenitatem Plinii, alphabetum discerem; strictentia, anhelantiaque verba meditarer. Quid ibi laboris sumplerim; quid sustinuerim difficultatis; quotiens desperaverim; quotiensque cessaverim, & contentione discendi rursus inceperim, testis est conscientia mea &c. Armatus itaque fide, gratiamque Christi adeptus, Hebraeorum volumina, quae in canone continentur, de Hebraeo in latinam linguam vertit, eaque pene omnia commentatus est. Ut ergo opera ejus valde utiliora confecta breviter commemoremus: scripsit vitam Pauli monachi, epistolarum ad diversos Librum, Ad Heliodorum exhortatoriam. Altercationem Luciferani, & orthodoxi. Chronicon omnimode Historiae. In Jeremiam & Ezechiel omelias viginti octo, quas de graeco in latinum vertit. De Seraphim; de Ofanna; de frugi & luxurioso filio; de tribus quaestionibus legis veteris; omelias in canticum canticorum duas. Adversum Helvidium, de Mariae virginitate perpetua. Ad Eustochium de virginitate servanda. Ad Marcellam Epistolarum librum unum. Consolatoriam de morte filiae ad Paulam. In Epistolam Pauli ad Galatas Commentariorum Libros tres; in Epistolam ad Titum Librum unum; in Epistolam ad Philemonem Ibrum unum. In Ecclesiasticum Commentarios. Quaestionum Hebraicarum in Genesim Librum unum. De locis Librum unum Hebraeorum nominum Librum unum. De Spiritu Sancto Didimi, quem in latinum transtulit, librum unum. In Lucam omelias triginta novem. In psalmos a decimo usque ad sextum decimum, tractatus septem. Captivi monachi vitam, & beati Hilarionis. Novum Testamentum Graecae fidei reddidit. Epistolarum autem ad Paulam & Eustochium incertus est numerus. Sedecim Prophetarum volumina, \* quatuor & LXX. Libris editis commentatus est. Inter has itaque numerosas operis sui paginas, centum & triginta virorum illustrium Ecclesiasticorum scriptores a Passione Christi usque ad quartum decimum Theodosii Imperatoris annum in ordine digesti.

\* LXI tantum numeramus hodie; sed forte plures in Jeremiam Librorum Commentarios antiqui numerarunt, viginti scilicet, vel xix quum tamen sex nobis supersint in MSS. codicibus.

## CENSURA EPISTOLAE SEQUENTIS.

*Evadita prorsus & eloquens epistola, sed quam, ut nihil aliud accedat, vel stylus palam arguat non esse Hieronymi. Praeterea consentaneum non est, Hieronymum ad eandem virginem istam de rebus bis scripsisse. Divus Augustinus non nihil suspicari videtur ab heretico Pelagio conscriptam, quod insit in ea nonnulla, quae Pelagianorum dogmata respiciant: praesertim cum is Pelagius in epistola quadam testetur sese ad Demetriadem scripsisse. Beda putat esse Juliani heretici, qui traditur Pelagiani erroris auctor. Ceterum error inscriptionis hinc natus est, quod Hieronymus quoque scripserit ad hanc virginem argumento non dissimili. Hec Erasimus.*

## AD DEMETRIADEM VIRGINEM.

**S**ummo ingenio parique fretus scientia, officium scribendi facile me implere posse crederem: tamen tam arduum hoc opus ingredi, sine magno difficultatis timore non possum. Scribendum tamen est ad Demetriadem virginem Christi, virginem nobilem, virginem divitem, & quod his majus est, ardore fidei, nobilitatem divitiarumque calcantem. Quam utique pro tam insigni admiratione virtutis: ut laudare omnibus facile, ita docere difficile est. Cui enim oratio deesse possit, in ejus laude celebranda: quae summo loco nata, in summis opibus delicisque nutrita: tantis tantisque variis hujus vitae blandimentis, velut tenacissimis quibusdam irretita vinculis, subito eruperit: cunctaque simul corporis bona, animi virtute mutaverit? Quae florem adhuc ipsum ineuntis aetatis quodam fidei gladio, id est, voluntate succiderit? Et crucifigens cum Christo carnem suam vivam, sanctamque hostiam sacraverit Deo, ac nobilissimam sanguinis

<sup>a</sup> In quibusdam codicibus Juliani habet inscriptionem; in aliis Celestii tribuitur item Pelagiano. Sed ipse est Pelagius, ut probari potest ex Augustino lib. 1. de gratia Christi contra Pelagium cap. 22.

posteritatem, virginitatis amore contempserit? Prona autem & facilis dicendi via est: quae ipsa ubertate materiae cursum orationis accendit: sed nobis alio magis itinere pergendum est, quibus propositum est, institutionem virginis, non laudem scribere: nec tam paratas jam virtutes ejus exprimere quam parandas: magisque reliquam ordinare vitam, quam ornare praeteritam. Est autem difficillimum cum ejus persona facere, in qua cupiditas tanta discendi est, tantisque perfectionis ardor, ut ei quamlibet perfecta doctrina par esse vix possit. Meminit enim recteque meminit, quas mundi opes gloriamque respucit, quibus voluptatibus renunciaverit, quas denique contempserit vitae praesentis illecebras. Et ideo contenta non est communi hoc mediocriter genere vivendi: & quod facile ipsa multorum societate vilescat. Novum aliquid & inusitatum requirit: praecipuum ac singulare quoddam flagitat: non minus conversationem suam quam conversationem cupit esse mirabilem. In seculo nobilis, apud Deum cupit esse nobilior. Tam preciosa requirit in moribus, quam contempserit in rebus. Hunc utique tam devotae mentis ardorem: hanc tantae perfectionis sitim, quod unquam satiabit flumen ingenii? Quae vis aliquando orationis, quae copia tantum verbis exprimere poterit, quantum parata est virgo rebus implere? Nobis vero donanda est venia, qui ad ornandum domini tabernaculum, secundum viros nostras munus offerimus. Nec veremur ne temere scribendo, ad tantae nobilitatis virginem, ultra nos moribus tradamus invidiam. Scribimus enim petente sancta matre ejus, immo jubente, idque a nobis transmarinis literis, miro cum desiderio animi flagitante: quae facile ostendit, quo studio quantaque cura in filia germen caeleste plantaverit, dum illud tam sollicitè cupit ab aliis irrigari. <sup>b</sup> Remoti igitur a temeritate, & ab ambitione liberi, proposito insudemus operi. Nec de mediocritate diffidimus ingenii, quod credimus, & fide matris, & merito virginis adjuvari. Quoties mihi de institutione morum & sanctae vitae conversatione dicendum est, soleo prius humanae naturae vim qualitatèque monstrare, & quid efficere possit ostendere: ac jam inde audientis animam ad speciem incitare virtutum: ne nihil proficiat ad ea vocari, quae forte sibi impossibilia esse praesumpserit. Nequaquam enim virtutum viam valeamus ingredi, nisi fide ducamur comite. Si quidem appetendi omnis conatus perit consequendi desperatione. Quem ego exhortationis ordinem, cum in aliis quoque opusculis tenerim, tunc hic maxime observandum puto: ubi eo plenius naturae bonum declarari debet, quo instituenda est vita perfectior, ne tanto remissior sit ad virtutem animus ac tardior, quanto minus se posse credat: & dum quod inesse sibi ignorat, id se existimat non habere. Proferenda semper in notitiam ea res est, cujus usus desideratur, & explicandum est quicquid bonum natura potest, cum quidquid posse probatur, implendum est. Haec igitur prima sanctae ac spiritualis vitae fundamenta jactantur, ut vires suas virgo agnoscat: quas demum bene exercere poterit, cum eas se habere didicerit. Optima enim animi incitamenta sunt, cum docetur aliquis posse quod cupiat. Nam & in bello ea exhortatio maxima est, eaque plurimum autoritatis habet, quae pugnatorem de viribus suis admonet. Primum itaque debes naturae humanae bonum de ejus autore metiri, Deo scilicet, qui cum universa mundi, & quae intra mundum sunt, opera bona, & valde bona fecisse referatur: quanto putas praestantiorum ipsum hominem fecit: propter quem omnia etiam intelligitur illa condidisse? Quem dum ad imaginem & similitudinem suam facere disponit, antequam faciat, qualem sit facturus ostendit. Deinde cum subjecit ei universa animalia: eumque etiam constituit eorum dominum, quae vel mole corporis, vel virium magnitudine, vel armis dentium, multo valentiora homine fecerit: satis declarat, quanto pulchrius sit homo ipse conditus, quem vel ex hoc voluit naturae suae intelligere dignitatem, dum fortia sibi subiecta miratur animalia. Neque enim nudum illum ac sine praesidio reliquit: nec diversis periculis velut exposuit infirmum. Sed quem inermem extrinsecus fecerat, melius intus armavit: ratione scilicet atque prudentia, ut per intellectum vigoremque mentis, quo ceteris praestabat animalibus, factorem omnium solus agnosceret: & inde serviret Deo, unde alii dominabatur.

<sup>b</sup> Haec Pelagium in Epistola ad Constantium pro suis agnovisse scribit Augustinus cap. 37. ejusdem libri.

Quem tamen justitiae dominus voluntarium esse voluit, non coactum. Et ideo reliquit eum in manu consilii sui. Postquam ante cum vitam & mortem, bonum & malum: & quod placuerit ei, dabitur illi. Unde etiam in Deuteronomio legimus: Vitam & mortem dedi ante faciem tuam, benedictionem & maledictionem, elige tibi vitam ut vivas. Hinc jam providendum est, ne forte illud remordeat te, in quo temere imperitum vulgaveris. Et ideo non vere bonum factum hominem putes, quia is facere malum potest. Nec ipse naturae violentia astringatur ad immutabilis boni necessitatem. Nam si diligenter retractes, & ad subtiliorem intellectum cogas animum: hinc tibi melior status hominis ac superior apparebit, unde putatur inferior. In hoc enim gemini itineris discrimine, in hac utriusque libertate, partis rationabilis animae decus positum est. Hinc, inquam, totus natura nostra honor consistit: hinc dignitas; hinc denique optime quique laudem mereantur, hinc praemium. Nec esset omnino virtus ulla in bono perseverantis: si is ad malum transire non potuisset. Volens namque Deus rationabilem creaturam voluntarii boni munere, & liberi arbitrii potestate donare: utriusque partis possibilitatem homini inferendo, proprium ejus fecit esse quod velit: ut boni ac mali capax naturaliter utrumque possit: unde alterutrum voluntatem desceat. Neque enim aliter spontaneum habere poterat bonum: nisi aequè etiam malum habere potuisset. Utrumque nos posse voluit optimus creator, sed unum facere, bonum scilicet, quod & imperavit: malique facultatem ad hoc tantum dedit, ut voluntatem ejus ex nostra voluntate faceremus. Quod cum ita sit, hoc quoque ipsum quod etiam mala facere possumus, bonum est. Bonum inquam, quia boni partem meliorem facit. Facit enim ipsam voluntariam sui juris: non necessitatem devinctam, sed judicio liberam. Licet quippe nobis eligere, refutare, probare, respucere. Nec est quo magis rationabilis creatura ceteris praefertur, nisi quod cum omnia alia conditionis tantum ac necessitatis bonum habeant, haec sola habeat etiam voluntatis. Sed plerique impiè, non minus quam imperitè, cum super statu hominis quaeritur, verè dicere, quasi reprehendentes opus Domini: talem illum aiunt debuisse fieri, qui omnino facere non posset malum. Dicit itaque figmentum ei qui se finxit: Quid me fecisti sic? Et improbissimi hominum, dum dissimulant idipsum bene administrare quod facti sunt: aliter se factos fuisse malunt, ut qui vitam suam emendare nolunt, videantur emendare velle naturam. Cujus bonum ita generaliter cunctis institutum est, ut in gentilibus quoque hominibus, qui sine ullo cultu Dei sunt, se nonnumquam ostendat ac proferat. Quam multos enim philosophorum & audivimus & legimus, & ipsi vidimus castos, patientes, modestos, liberales, abstinentes, benignos, & honores mundi simul, & delicias respucientes, & amatores justitiae non minus quam scientiae! Unde quæso hominibus alienis a Deo ista, quae Deo placent? Unde autem illis bona nisi de natura bono? Et cum ista quae dixi, vel omnia in uno, vel singula in singulis haberi videamus, cum omnia natura una sit, exemplo suo invicem sibi ostendunt, vel singula in singulis inventiuntur. Quod si etiam sine Deo homines ostendunt, quales a Deo facti sunt: vide quid Christiani facere possunt, quorum in melius per Christum natura & vita instructa est: & qui divina quoque gratia juvantur auxilio. Age jam ad animae nostrae secreta veniamus. Seipsum unusquisque attentius respiciat. Interrogemus quid de hoc sentiant propriae cogitationes. Ferat sententiam de naturae bono ipsa conscientia bona: instruat domesticum magisterio animi: & mentis bona non aliunde magis quaerere, quam ab ipsa mente discamus. Quid illud obscuro est, quod ad omne peccatum aut erubescimus, aut timemus: & culpam facti, nunc rubore vultus, nunc pallore monstramus: ac trepidante animo, etiam in minimis delictis testem effugimus, conscientia remordemur? & diverso autem in omni bono laeti, constantes, intrepidi sumus: idque si occultum est, palam etiam fieri cupimus & volumus: nisi quod testimonio sibi est ipsa natura, quae hoc ipso declarat bonum suum, quo ei malum displicet: & dum in bono tantum opere confidit: quid solum eam deceat ostendit? Hinc est illud quod frequenter carnifice occulto, in autorem sceleris,

<sup>a</sup> Augustinus cap. 33. de gratia Christi contra Pelagium haec citat ex Epistola ejusdem Pelagii ad Demetriadem.

conscientiae tormenta deserviunt: & latentem reum, secreta mentis poena persequitur. Nec ullus post culpam impunitatis locus est, cum sit reatus ipse supplicium. Hinc est quod e contrario innocens etiam inter ipsa tormenta fruitur conscientiae securitate: & cum de poena metuat, de innocentia gloriatur. Est enim, inquam, in animis nostris naturalis quaedam (ut ita dixerim) sanctitas: quae velut in arce animi praesidens, exercet mali bonique iudicium: Et ut honestis rectisque actibus favet: ita sinistra opera condemnat, atque ad conscientiae testimonium diversas partes domestica quadam lege dijudicat. Nec ullo proflus ingenio, aut fucato aliquo argumentorum colore decipit: ipsi nos cogitationibus fidelissimis & integerrimis sanè testibus, aut arguit, aut defendit. Hujus legis, scribens ad Romanos meminit Apostolus: quam omnibus hominibus insitam, velut in quibusdam tabulis cordis scriptam, esse testatur. Cum enim, inquit, gentes quae legem non habent, naturaliter quae legis sunt faciunt: hujuscemodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex. Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis: testimonium reddente eis conscientia eorum, & inter se invicem accusantium cogitationum: aut etiam defendentium. Haec lege usi sunt omnes quos inter Adam atque Moysen sanctè vixisse, atque placuisse Deo, scriptura commemorat. Quorum tibi exempli causa aliqui proponendi sunt: ut facile intelligas, quantum sit natura bonum, cum eam legis videris docuisse justitiam probaveris. Abel primus hanc magistratam secutus, ita dominum promeruit ut dum ei offerret hostiam, tam gratè sacrificium ejus acceptum Deo fuerit, ut fratrem in invidiam concitaret. Quem justum in evangelio dominus ipse commemorans, breviter perfectionem ejus exposuit. Omnis enim virtutum species, uno justitiae nomine continentur. Beatum Enoch ita placuisse Deo legimus, ut eum de medio mortalium raperet: & in mundo consummatum, de mundi habitatione transferret. Noè justus in generatione sua, & perfectus, asseritur: cujus sanctitas eo magis est admirabilis, quod toto proflus a justitia declinante mundo, solus justus inventus est: nec ab alio sanctitatis quaesivit exemplum sed ipse praebuit. Et ideo totius orbis imminente naufragio: solus ex omnibus meruit audire: Intra tu & domus tua in arcam: quia te vidi justum in generatione ista coram me. Ante Deum autem ille justus probatur, qui & corpore sanctus est & corde. Melchisedech sacerdos Dei legitur: cujus meritum facile ex hoc intelligi potest, quod multo post futurum domini sacramentum ante signavit: ac sacrificio panis & vini, mysterium corporis & sanguinis expressit: ac sacerdotii sui typum, Christi sacerdotium figuravit, cui a patre dicitur: Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. Nam & quod benedixit Abraham principem Patriarcharum, qui per circumcisionem pater Judaeorum est, per fidem gentium: illius signatissime ostendit figuram, qui per fidem suam & Judaeis donavit benedictionem & gentibus. Lot quoque sancti Noè virtutem secutus: inter tot peccantium exempla, justitiam non reliquit. Et ut illum totius mundi exemplum non viciat: ita hic tota illa, in qua habitat, regione peccante, contra multitudinis vitia tenuit sanctitatem. Qui (ut beatus Petrus ait) visu & auditu justus erat: & inter pessimos positus, mala eorum & oculis aversabat & auribus: atque ideo simili exemplo, ut ille diluvis, ita hic est ereptus incendio. Quid Abraham amicum Dei, quid Isaac & Jacob memorem? Quam perfectè impleverint Domini voluntatem, vel hinc possumus aestimare, quod familiari quadam & praecipua dignitate, eorum se Deum voluit nominari. Ego sum, inquit, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob. Hoc nomen meum sempiternum & memoriale in generationes generationum. Joseph fidelis Domini famulus a puero, tribulationibus magis justus & perfectus ostenditur: qui primum a fratribus Hilmælit in servum additus est: ab eisque venditus, à quibus se videtur adorandum. Deinde Aegypto Domino traditus: semper tamen ingeniam animae tenuit dignitatem: docuit exemplo suo & servos & liberos in peccando, non conditionem cuiquam obesse, sed mentem. Hic quæso remota paulisper: & castum animum, sollicitè virgo considera. Concupiscitur a domina Joseph adolescens: nec ad concupiscentiam provocatur: rogatur & fugit. Una hac in re & blanditur & supplicat, quae in ceteris imperabat. Amor Dei,